



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Luxus & ambitio Petri Leonis in legatione Gallica & Anglica, tum perditissimi mores, & ad irritamenta gulæ sollicitus animus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

dinalis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, Saxo genere, juvenis ætate, sed seniorum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur atque dirigitur, apostolicis paramentis atque insigniis non minus insulatus quàm si ipse procedebat. Repetit ista rursus Tangmarus paulò post occasione synodi in Germania ob eam causam habitæ. *Interea affuit, inquit, ab Apostolico & Imperatore vice Papa directus Cardinalis Presbyter Frithevicus, omnibus insigniis apostolicis, ac si Papa procedat insulatus, equis apostolica sella Romano more ostro instratis.* Ceterum primus locus, ut hoc obiter adnotem, datus Legato non est quandiu illic adfuit Villigisus Archiepiscopus Moguntinus.

Fide infra lib. 6. cap. 31. §. 7.

III. Anno M X C V I. Urbanus II. duo Concilia generalia celebraverat intra Gallias, primum quidem in civitate Turonensi, aliud verò apud Nemausum in prima Narbonensi. Quia verò Concilia illa plurimum habebant dignitatis ac splendoris, Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, qui Legatus apostolicæ sedis erat, incessit ambitio generalem synodum habendi, ut eo pacto auctoritatem suam ostentaret. Literas itaque ad universos regni Francorum Episcopos cum scripsisset, quibus eos evocabat ad Concilium, Philippus Rex, qui haud dubiè ægrè ferebat Episcopos suos evocari ab Episcopo alterius regni, consuluit Ivonem Episcopum Carnotensem quid factò opus esset. Quòd si ille non rescripsisset, non haberemus hodie exemplum ambitionis istius Legati. Sic ergo legitur in epistola L V I. Ivonis ad Philippum Regem: *De eo quod parvitati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno à Domino Papa celebrata, nunc Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare, & ad hoc regni vestri Episcopos invitare, serenitati vestre respondeo quia cum nuper literas ejus habuerim, nihil tale ibi legi, vel à misso ejus audivi. quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo.*

Fide epistolam Petri Damiani ad Hildebrandum, apud Baron. ad an. 1059. §. 45.

Fide supra cap. 49. §. 2.

IV. Iam tum Legati contendeabant primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prerogativa suffragij, ideòque mirum videri non debet Hugonem cogitasse de celebrando Concilio, in quo ipse cum summa auctoritate præesset universis Archiepiscopis & Episcopis regni Francorum. Istam tamen legem per ea tempora duram & iniquam esse putabant Angli, non tamen contradicere ausi ob metum Romani Pontificis & Legatorum. Extat illustre istius rei exemplum apud Gervasium Dorobernensem, à nobis supra relatam, ut necesse non sit hæc rursus describere. Illud tantum

dicam, reprehensione dignum Anglis visum fuisse quòd pomposè nimis susceptus esset Legatus ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, & quòd simplex Presbyter præsideret omnibus Archiepiscopis & Episcopis, idque in sublimi solio, ut ipsa Gervasij verba ponamus. Addit autem istud facinus totam Angliam commovisse in non modicam indignationem, & gravi ex ea re scandalo multorum mentes fuisse vulneratas. Contigere ista anno millesimo centesimo vigesimo quinto.

V. Scio hoc quod dicturus sum de Gerardo Episcopo Engolismensi, è satyra peti quam adversus ipsum scripsit Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis. Referam tamen, ut si vera ex omni parte sunt quæ Gerardo objicit Arnulphus, detestemur hominis superbiam & arrogantiam, sin minus, certè hinc colligamus multa pro more Legatorum gessisse Gerardum quæ reprehensione digna videbantur. Sic ergo loquitur Arnulphus de legatione ejus: *Abinde igitur inconcussa prerogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depulando quidem vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando.* Et mox: *Abinde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas copiosam rapacitati suæ materiam non desuisse gavisus est. Quid ergo manifestas exactiones, quid familiaria ob periculum justitia suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio presidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, & ambitioni satisfacere contemplatio subditorum.*

VI. Per eadem tempora Petrus Leonis, qui in schismate dein electus est Romanus Pontifex adversus Innocentium secundum, Legatus apostolicæ sedis fuit in Gallia & in Anglia. Qua pompa, quo fastu & luxu, quo denique dedecore in legatione versatus sit, si vera sunt quæ de illo narrat Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, facilè lector judicabit. Neque enim veri periculum ad me recipio, cum sciam multa interdum studio partium dici quæ non ita sunt vera ut leguntur in libris. Hæc tamen vitia ei adhuc viventi publicè exprobrat Arnulphus in libro contra Gerardum Engolismensem. *Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suæ potius quàm justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur quæ merces adjecta & marsupij plenitudo subsecuta probaret. Vbi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapine præstabatur occasio, tunc exactio blanditiis vel comminatione plena*

non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivium parabantur; tantisque ciborum luxus & superfluitas erat ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret & ignota compositionis nova vasa formare. Cum autem adversus istam impudentiam graviter detonasset Arnulphus, demum addit: Taceo quod hęc effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cumque pauperes Episcopus vel Abbates profusioribus quam domi didicerat vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut planè sponsam Domini spoliare suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

VII. Sanè factum omnem abesse debere à Legatis apostolicę sedis, quę à piscatore fundata est, & res ipsa loquitur, & graves omnium seculorum querelę adversus ipsos evincunt. Sed in primis memorabilis est locus sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis: qui Eugenium III. instruens cujusmodi viros lateri suo applicare debeat, quibus ministris uti in provinciis, generalia quidem monita valde utilia præscribit; præcipuè verò jubet uti Ecclesias non spoliarent, marcupia non exhauriant, famę suę provideant, orandi studium gerant, se amabiles præbeant, non verbo, sed opere, reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Quod in hominibus istis non reprehendisset sanctus Bernardus, nisi seculo illo Legatorum fastus & ambitio res fuissent vulgarissimę, quę bonis omnibus nauseam & fastidium creabant.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum refert Matthæus Parisius, cum describit quę gesta à Vvillelmo Eliensi Episcopo sunt anno millesimo centesimo nonagesimo. Hęc sunt ejus verba: Legationis officium, quod mille fufis argenti libris adquiserat, adeo immoderate peregit ut omnibus Anglię Ecclesiis tam conventualibus quàm cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, Clericorum stipatus catervis, Militumque vallatus agminibus, omnia ferè quę episcopali reverentię congruunt prætermisit. Illi omnes filij nobilium astabant in mensa, quos suis nepitibus & consanguineis puellis copularvit per matrimonia, felices se æstimantes quos familiares habebat. Non fuit terra venalis quam non emerit, Ecclesia vel abbatia vacans quam non daret aut retineret. Sequebantur illum Ambubaia- rum collegia, pharmacopole, mendici, mime, balatrones, hoc genus omne; ut illi omni musico- rum genere & modulationibus vocum obsequeretur in terris, sicut angeli sancti omnipotentis Deo obsequuntur in cęlis. Hoc autem totum fecit ut cum Domino à pari contendere videretur.

Tom. II.

IX. Innocentius deinde tertius anno MCCXIII. Constantinopolim misit Pelagium Episcopum Albanensem, quem diu orientalis Ecclesia habuit apostolicę sedis Legatum. Nolo heic inire narrationem rerum ab eo gestarum in ea legatione. Referam tantum quę de fastu & arrogancia ejus narrat Georgius Logotheta in Chronico Constantinopolitano. Idem Ericus, inquit, cum Byzantię imperaret, ad reginam urbium à Summo Pontifice Præsul, quem ipsi Legatum indigitant, Pelagius nomine, Pape prerogativas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros inducibat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur; quinimo equi sagulum & fræna eodem inficiebantur veneno. Et cum moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentia plenus, nimium severit in Constantinopolitanos. Vide reliqua apud Odoricum Raynaldum.

X. Anno MCCXXI. Honorius III. Legatum in Scotiam misit Ægidium Cardinalem, ut in subsidium novę expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquereret. Narrat ista Hector Boëtius in libro XIII. historię Scotorum; simulque gravem Episcopi cujusdam Scoti orationem in conventu publico habitam refert de avaritia & tyrannide Legatorum. Inter Legatos verò quos oratione illa perstrinxit hic Episcopus, ista de Ægidio indignabundus effudit, cum dixisset eum ex populi liberalitate ingentem pecuniam compilasse: Eam omnem homo audacissimus in summa ambitione ac luxu, etiam nobis aspicientibus, profudit; nec veritus est impudens veterator falsum crimen confingere, ut flagitia sua tegetet, & ne absumptum imò devoratum thesaurum restituere cogeretur.

XI. Anno MCCXXXVII. Otto Tituli sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, de quo supra diximus, in Angliam à Gregorio IX. missus Legatus tanta pompa tantoque fastu Concilium generale celebravit ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit à Matthæo Parisio. Appropinquante verò tempore Concilij, inquit Parisius, jussit sibi Legatus sedem parari in occidentali parte Ecclesię sancti Pauli Londoniis fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur literas suas, ut vocati omnes Anglię Prelati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati, tam sub Conventus sui vel Capituli quàm suo nomine, literas procuratorias deferentes, ut quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum Domini Legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum, & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes Prelati sue legatię, Angliam tamen potissimè. Hęc

V.

Georgius Logotheta ex v. s. s. Al. laig. a. apud Odor. Raynald. ad an. 1224. s. 6.

Vide supra cap. 10. f. 6.

7. 2. 2. lib. 4. 4.

Vile s. s. cap. 4. s. 2.

14. 5.

14. 1. 14. 1.